



nones ferenda est de tali usurpatione sententia. Illorum etiam episcoporum, qui a Rufino vel a Minicio contra regulas ordinati sunt, habeatur plena discussio; ut quia perperant facti sunt, intelligant in quo vitioso initio adepti sunt, se diutius obtinere non posse.

III.

De Joanne quoque Episcopo, cujus in Synodo Toletana super receptis Symphosio atque Dictinio per legatos consensus accessit, et cui probabilis visa illa correctio, examinentur quæ postea sunt secuta; et prorsus super omnibus, quorum in dubium venit de cessatione communionis, plena inquisitio vestigetur; ut secundum decretum Synodi Toletanæ vel communionis consortio propter abolendam suspicionem schismatis misceantur; vel si qui fuerint deprehensi, qui abnuant concordiam et constituta placitorum, a communione Catholice Fidei per dilectionis vestrae sententias abdicentur: ut jam non internum malum, quod tacitum non desinit serpere, sed schismaticorum manifesta professio contagioque vitetur.

IV.

Nam de ordinationibus, quas pravæ consuetudinis vitio Hispanienses Episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum majorum traditionem statuendum, nisi perpendere-mus ne perturbationes quamplurimas ecclesiis moveremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum ea quæ quoquo modo facta sunt, in dubium non voce-mus, sed Dei potius iudicio dimittamus. Quan-tos enim ex his, qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, et obtinendi pertinaciam susceperunt, adscitos ad sacerdotium esse comperimus, è quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur? Quantos ex aliqua militia, qui cum potestanti-bus obedirent, necessariò præcepta sunt exe-quuti? Quantos ex curialibus, qui dum parent potestantibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt? Quantos qui voluptates et editiones populo ce-lebrarunt, ad honorem summi sacerdotii per-venisse? quorum omnium neminem ne ad so-cietatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenire. Quæ si singula discutienda mande-mus, non modicos motus aut scandala Hispa-niensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcirco re-mittenda hæc potius putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestrae matu-ritas providere debet, ut tantæ usurpationi saltè nunc finis necessarius imponatur. Eo

videlicet constituto, ut si qui post hæc adver-sus formas canonum, vel ad ecclesiasticum or-dinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tenta-verint, unà cum creatoribus suis ipso, in quo inventi fuerint, ordine et honore priventur.

V.

Gregorii etiam Emeritensis Episcopi, qui in locum Patruini venerabilis recordationis est ordinatus, querela, si qua est, audiatur: et si contra meritum suum passus est injuriam, in invidos honoris alterius vindicetur; ne posthac in quemquam bonorum spiritus factionis in-surgat.

VI.

Et quamvis dilectioni vestrae, fratres charis-simi, regulæ Nicænæ sint cognita, secundum quas ordinationes faciendas esse per senten-tiam decernitis; tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus est provisã, inserendam pu-tavi, ut secundum hanc ordinationes in pos-terum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum quæ sunt prohibita digeruntur. Ne quisquam qui post baptismum militaverit, ad ordinem debeat clericatus admitti: neque qui causas post accep-tum baptismum egerint: aut qui post accep-tam Dei gratiam administraverint: neque de curialibus aliquem venire ad ecclesiasticum or-dinem posse, qui post baptismum vel coronat fuerint, vel sacerdotium quod dicitur, sustinue-rint, et editiones publicas celebraverint. Nam et hoc de curialibus est cavendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, re-poscantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita oportet modis omnibus custodiri.

Quales vero eligendi sunt in ordine clerico-rum, evidens forma declarat. Id est, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, et lectorum officio sociati; vel si majores sint, cum fuerint Dei gratiam consequi, statim se ecclesiasticis ordinibus mancipaverint. Et si uxores habue-rint, quærundum, si uxorem virginem accepe-rint; quia scriptum est in Veteri Testamento: *Uxorem virginem accipiat sacerdos*. Et alibi: *Sacerdotes mei semel nubant*. Neque qui duas uxores habuerit, quia Paulus Apostolus ait: *Unius uxoris virum*. Nec illud debere admitti, quod aliquanti pro defensione pravi erroris op-ponunt, et asserunt, quod ante baptismum uxor accepta non debeat imputari, quia in baptismo omnia dimittuntur: non intelligentes hujusmo-di, quod sola in baptismo peccata dimittuntur, nec uxorum numerus aboletur. Nam si a Deo



(ut scriptum est) *preparatur viro uxor, et quod Deus conjunxit, homo non separet*; et ipsi auc-tores generis humani in origine a Domino be-nedicuntur; quomodo inter peccata, ista cre-duntur posse dimitti? Quod si secundum illos qui ita credum verum est; ergo omnis justitia, quæ a catechumenis ante baptismum fuerit operata, per baptismum auferetur. Nullus ergo contra Apostolum tale aliquid sentiat, nec ad-mittat: sed fideliter intelligat, *unius uxoris vi-rum*, sive ante baptismum, sive post bap-tismum, esse nominatum. Si enim uxor ante bap-tismum accepta non ducitur in numerum; nec filii ex eadem suscepti inter filios poterunt nu-merari. Quod quam absurdum sit, atque alie-num, prudentia vestra melius æstimabit. Unde nemini liceat interpretari aliter Divinas Scri-pturas, nisi quod recta ratio permittit: ne dum remedia sibi iniqua ad excusationem præpa-rant, et corripisse legem, et regulas evernisse judicentur. Sed ea tenenda sunt, quæ et Divi-narum Scripturarum series continet, et a sacer-dotibus utili ratione sunt instituta. *Et alia ma-nu*. Bene valete, fratres charissimi.

APENDICE IV.

CONCILIO DE TOLEDO DEL TIEMPO DEL REY GUNDEMARO, AÑO DE 610, EN 23 DE OCTUBRE.

In nomini domini nostri Jesuchristi, constitutio Carthaginensium sacerdotum, in toletana urbe apud Sanctissimum Ecclesie ejusdem Antistitem.

1 Convenientibus nobis in unum, pro reli-gione, et fide, quam Christo debemus, placuit, ne quid ultra in nobis absurdum, vel illicitum oriat, alterna conlatione decretum justissi-mæ promulgare sententiæ: quo perspicuè cla-reat inter nos, ordo, ac disciplina ecclesiasti-cæ dignitatis, et agnoscat fraterne concor-dia pacis.

2 Tali ergo dispositione necessarium con-tinentes, ob studium nostri ordinis, communi electione decrevimus, congruum esse provida dispositione iudicium, fatentes hujus Sacro-sanctæ Toletanæ ecclesie sedem Metropolitanam nominis habere auctoritatem, eamque nostris ecclesiis, et honoris anteire potestate, et me-ritis.

3 Cujus quidem principatus nequaquam conlationis nostræ conniventias nuper eligitur, sed jam dudum existere antiquorum Patrum synodali sententia declaratur; ea duntaxat concilii forma, quæ apud sanctum Montanum episcopum in eadem urbe legitur habita. Proinde ergo dispositionem nostram instructæ conlationes definitione celebrantes, elegimus ne quis ultra comprovincialium sacerdotum

inani, ac perversa contentione obnitatur hujus Sacrosanctæ Ecclesie Toletanæ primatum con-temnere: neque pervicaci schismatum studio ad summus Sacerdotalium infularum ordines, remota hujus sedis potestate, a nobis quem-piam, sicut hactenus factum est, provehere. Talem itaque specialiter a nobis, ac successo-ribus nostris defferri dignitatis honorificen-tiam huic Ecclesie pollicemur, qualem in de-cretis Sanctorum Conciliorum beatissimi Pa-tres Metropolitanis ecclesiis decreverunt. Hu-jus ergo, et nos reverentiæ observationem fide-li custodia pollicemur: hujus honorificentiam conservari diligenti prospectu a successoribus nostris, per metas sequantium ætatum, volu-mus. Sane quicumque ex nobis, vel successo-ribus nostris hæc statuta transcenderit, ana-thema sit Domino nostro Jesu Christo; atque culmine sacerdotali dejectus, perpetuæ excom-municationis sententia prædamnetur.

Facta constitutio sacerdotum in Urbe To-letana, sub die X Kalendarum Novembrium, anno regni primo piissimi, atque gloriosissimi Gundemari Regis. Era DC. XLVIII.

1 Protogenes Sanctæ Ecclesie Segontien-sis Episcopus, hanc decreti nostri professio-nem, pro firmitate subsc.

2 Theodorus Sanctæ Ecclesie Castulonen-sis urbis Episc. subsc.

3 Minitianus Sanctæ Ecclesie Segoviensis, subscripsi.

4 Stephanus Sanctæ Ecclesie Oretanæ Ep. subscripsi.

5 Jacobus Mentesanæ Ecclesie Episcopus, subscripsi.

6 Magnentius Sanctæ Ecclesie Valeriensis Episc. subsc.

7 Theodosius Sanctæ Ecclesie Arcavicen-sis Episc. subsc.

8 Marinus Sanctæ Ecclesie Valentianæ Epis-copus subscripsi.

9 Conantius Sanctæ Ecclesie Palentina Episcopus subscripsi.

10 Porcarius Sanctæ Ecclesie Segobriensis Episcopus subscripsi.

11 Vincentius Sanctæ Ecclesie Bigastrensis Episcopus subscripsi.

12 Eterius Sanctæ Ecclesie Bastitanæ Epis-copus subscripsi.

13 Gregorius Sanctæ Ecclesie Oxomensis Episcopus subscripsi.

14 Præsidius Sanctæ Ecclesie Complutensis Episcopus subscripsi.

15 Sanabilis Sanctæ Ecclesie Elotanæ Epis-copus subscripsi.



DECRETO DEL REY GUNDEMARO Á FAVOR DE LA METRÓPOLI DE TOLEDO.

Incipit decretum piissimi atque gloriosissimi Principis nostri, Gundemaris Regis.

ERA DC.XLVIII.

Flavius Gundemarus Rex, Venerabilibus Patribus nostris Carthaginensibus Sacerdotibus.

1. Licet regni nostri cura in disponendis atque gubernandis humani generis rebus promptissima esse videatur; tunc tamen majestas nostra maxime gloriosiori decoratur fama virtutum, cum ea, quæ ad divinitatis et religionis ordinem pertinet, æquitate rectissimi tramitis disponuntur: scientes, ob hoc pietatem nostram, non solum diuturnum temporis imperii consequi titulum, sed etiam æternorum adipisci gloriam meritorum. Nonnullam enim in disciplinis ecclesiasticis contra canonum auctoritatem per morem (1) procedentium temporum licentiam sibi de usurpatione præteriti Principis fecerunt. Ita ut quidam episcoporum Carthaginensis provinciæ non revereantur contra canonicæ auctoritatis sententiam, passim ac libere contra Metropolitanæ ecclesiæ potestatem, per quasdam fratras, et conspirationes, inexplorata vitæ omnes (2) episcopali officio provehi, atque hanc ipsam præfatæ ecclesiæ dignitatem, imperii nostri solio sublimatam committere, perturbantes ecclesiastici ordinis dignitatem (3), ejusque sedis auctoritate, quam prisca canonum declarat sententia, abutentes. Quod nos ultra modo usque in perpetuam fieri nequaquam permittimus: sed honorem primatus, justa antiquam synodalis concilii auctoritatem, per omnes Carthaginensis provinciæ ecclesias, Toletanæ ecclesiæ sedis episcopum habere ostendimus: eumque inter suos coepiscopos, tam honoris præcellere dignitate, quam nominis: justa quod de metropolitanis per singulas provincias antiqua canonum traditio sanxit, et auctoritas vetus permisit. Neque eandem Carthaginensem provinciam in ancipiti duorum metropolitanorum regimine contra Patrum decreta permittimus dividendam; per quod oriatur varietas schismatum, quibus subvertatur fides, et unitas scindatur. Sed hæc ipsa sedes, sicut prædita (4) est antiqua nominis sui (5), ac nostri cultu imperii, ita et totius pro-

(1) Loaysa: *moras præcedentium.*

(2) *Fortè homines.*

(3) Loaysa, *veritatem.*

(4) Loaysa *prædictum est. Ms. prædicta est.*

(5) Padilla *suple alli veneratione.*

vinciæ polleat ecclesiæ dignitate, et præcellat potestate.

Illud autem quod jam pridem in generali synodo Concilii Toletani, à venerabili Euphymio episcopo, manus subscriptione notatum est, Carpetaniæ provinciæ Toletanam esse sedem metropolim, nos ejusdem ignorantæ sententiam corrigimus: scientes proculdubio Carpetaniæ regionem non esse provinciam, sed partem Carthaginensis provinciæ, juxta quod et antiqua rerum gestarum monumenta declarant. Ob hoc, quia una eademque provincia est, decernimus, ut sicut Bætica, Lusitania, vel Tarraconensis provincia, vel reliquæ ad regni nostri regimina pertinentes, secundum antiqua Patrum decreta, singulos noscuntur habere metropolitanos, ita et Carthaginensis provincia unum, eundemque quem prisca synodalis declarat auctoritas, et veneretur primatem, et inter omnes comprovinciales summum honoret antistitem, neque quidquam contempto eodem ultra fiat, qualia hactenus arrogantium Sacerdotum superba tentavit præsumptio. Sane per hoc auctoritatis nostræ edictum, amodò et vivendi damus tenorem, et religionis, vel innocentie legem; nec ultra postmodum inordinata licentia ab episcopis similia fieri patimur, sed per nostram clementiam præteritæ negligentie, pietatis intuitu, et veniam damus, et indulgentiæ opem concedimus, et dum sit magna culpa hactenus deliquisse, majoris tamen ac inexplcabilis censura tenebit obnoxios, qui hoc nostrum decretum, ex auctoritate priscorum veniens, temerario ausu violare tentaverit, nec ultra veniam delicti faciemus admisi, adempti, si dehinc honorem ejusdem Ecclesiæ quilibet Carthaginensium sacerdotum contempserit; subituro proculdubio inobediens tam degradationis, vel excommunicationis Ecclesiasticæ sententiam, quam etiam nostræ severitatis censuram. Nos enim talia in divinis Ecclesiis disponentes credimus fideliter repnum Imperii nostri ita divino gubernaculo regi, sicut et nos cultum ordinis, zelo justitiæ accensi, et corrigere studemus, in perpetuum perseverare disponimus.

Flavius Gundemarus Rex, hujus edicti constitutionem pro confirmatione honoris Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, propria manu subscripsi.

1 Ego Isidorus Hispalensis Ecclesiæ provinciæ Bætice Metropolitanus Episcopus, dum in Urbem Toletanam pro ocurso Regio advenissem agnitis his constitutionibus adsensum præbui, atque subscripsi.

2 Ego Inocentius Emeritensis provinciæ Lusitanæ Metropolitanus Episcopus, dum in Ur-



bem Toletanam pro ocurso Regio advenissem, agnitis his constitutionibus adsensum præbui, et subscripsi.

3 Ego Eusebius Tarraconensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.

4 Ego Sergius Narbonensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.

5 Ego Joannes Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, SS.

6 Ego Illergius Egarensis Episcopus, SS.

7 Ego Licerius Ecclesiæ Egæditanæ Episcopus, SS.

8 Ego Maximus Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Episcopus, SS.

9 Ego Mumius Ecclesiæ Calagurritanæ Episcopus, SS.

10 Ego Floridius Ecclesiæ Tyrassonensis Episcopus, SS.

11 Ego Elias Ecclesiæ Cauriensis Episcopus, SS.

12 Ego Goma Ecclesiæ Olyssipponensis Episcopus, SS.

13 Ego Fulgentius Ecclesiæ Astigitanæ Episcopus, SS.

14 Ego Emila Ecclesiæ Barcinonensis Episcopus, SS.

15 Ego Theodorus Ecclesiæ Aurisinæ Episcopus, SS.

16 Ego Joannes Pampilonensis Ecclesiæ Episcopus, SS.

17 Ego Benjamin Ecclesiæ Dumiensis Episcopus, SS.

18 Ego Agapius Tuccitanæ Ecclesiæ Episcopus, SS.

19 Ego Gundemarus Ecclesiæ Vesensis Episcopus, SS.

20 Ego Argebertus Portucalensis Ecclesiæ Episcopus, SS.

21 Ego Teveristus Salmaticensis Ecclesiæ Episcopus, SS.

22 Ego Vitulatus Ecclesiæ Lavericensis Episcopus, SS.

23 Ego Leontianus Lotobensis Episcopus, SS.

24 Ego Pisinus Ecclesiæ Eliberratanæ Episcopus, SS.

25 Ego Justinianus Ecclesiæ Abelensis Episcopus, SS.

26 Ego Veneris Ecclesiæ Castulonensis Episcopus, SS.

Este último obispo Venerio, es el único que entre todos los de la provincia Cartaginense suscribe al decreto, por cuanto los demás de esta provincia concurren al sínodo, y entre ellos el antecesor de Venerio; pero muerto aquél y consagrado prontamente Venerio, le hicieron suscribir el decreto, como se dirá en el tomo siguiente.

Exemplar judicij inter Martianum et Habentium episcopos (Astigitanos). Era DCLXXVI. (Anno 638.) In concilio sexto Toletano. Nunc primum ex veteri Ecclesiæ Legionensis Codice Gothico in lucem editum. Vide pag. 182.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Selva, Julianus, Eugenius, Honoratus, Protasius, metropolitani episcopi, et cæteri consacerdotes eorum, atque reliqui presbyteri vicarii episcoporum. Sæpe improbitatibus malorum quatitur vita inocentium, et interserit se sub colore justitiæ iniquitas fallatiæ, cum diabolicis insidiis infligitur macula in ecclesiis, quoniam semper æmula virtutibus invidia illum vulnerat mendacio criminis, quem nequit perimere opere actionis. Hinc est enim quod dudum in Concilio Spalensi Martianus Astigitanæ ecclesiæ episcopus falsis criminibus exauctoratus, ad universalis præsentis Concilii confugit remedium purgandus, indignoque questu, ut judicium damnationis suæ retractaretur est deprecatus. Jam enim in præcedenti universali Concilio ex parte fuerat auditus, et gradui tantum, et non loco restitutus, quoniam angustia temporis ne ad plenum negotium suum ventilaretur fuerat interceptum. Nos quoque quibus id curæ delegata pastoralis sollicitudo impertit, ne forte inoxius noxiorum penas lueret, et nostra inquisitione cessante non sine nostro reatu innocentia vacillaret: siquidem condunatus in ejus delectione legitimus episcoporum numerus jam eum invenerit importunitate potius sæcularium omni dignitate privatum, et injuriis afflictum atque judicatum, quod et tenore discussionis ipsius comprobatur; tamen malimus a fratre Habentio episcopo, qui in ejus loco fuerat subrogatus, vel ab eis quorum sententia fuerat à gradu suo remotus, ipsum judicium ad retractandum repositum. Quibus negantibus, et cum divina interpositione ad testantibus, nescire se, nec ad conscientiam illorum attingere, aut ubi haberetur, vel a quo fuerit occultatum, prolata sunt exemplaria, quæ recognita ab his omnibus adfirmarentur esse vera, et quamquam maxima pars judicium vitæ præsentis jam habuerit excessum, ii tamen qui superstiterunt, pari consensu nobiscum et unanimatis consilio cum successoribus decedentium elegerunt, hoc idem in testibus retractare judicium: neque enim longiquitas obsistere potuit temporis, quia retrusus post delectionem honoris intra annum nullus ei patuit aditus reclamationis, sed nec consonam ab ipsis judicibus accepit sententiam, dum alii eum, ut ipsi confessi sunt, eo in tempore dixerint innocentem, alii proclamaverint culpabilem. Quo circa accusatores præfati Martiani episcopi coævi nostro